EXERCITATIONUM CRITICARUM
SPECIMEN.

PHILOLOGIS GERMANIAE

PER DIES XXIV—XXVII M. SEPTEMBRIS A. MDCCCLXII

AUGUSTAE VINDELICORUM

CONVENTUM AGENTIBUS

D. D. D.

Dr. ERNESTUS DE LEUTSCH

PROFESSOR GOTTINGENSIS.

GOTTINGAE

SUMPTUS FECIT LIBRARIA DIETERICHIANA.

MDCCCLXII.

In carmine illo suavissimo, quo Deorum omnium unam Spem in terris remansisse praedicat Theognis mortalibus propitiam, naevi temporum iniquitate adspersi et librariorum incuria propagati nondum feliciter sublati esse videntur. Quod paucis demonstrare conabimur. Primum distichon vs. 1135 sq. in codice Mutinensi (A) sic exaratur:

ἐλπὶς ἐν ἀνθρώποισι μόνη θεὸς ἐσθλὴ ἔνεστι,
ἄλλοι δ' Οὔλυμπον ἐκπρολιπόντες ἔβαν.

In his *μόνη* ab Theognidis consuetudine abhorret: ionica enim forma uti solet: v. vs. 130. 222. 696. 770: itaque cum in Stobaei Floril. CX, 12 *ἀνθρώποις μούνη* exstet, praeterea Arsenius apud Apostol. VII, 1ᶜ edit. meae *ἀνθρώποισι μούνη* praebeat, hoc ipsum *ἀνθρώποις μούνη* restituendum esse recte monuit Schneidewinus in Symb. critt. ad Lyr. Graec. p. 26. Sine causa Sintenis apud G. Hermannum in Seebod. Jahn. et Klotz. Annal. Philol. et Paedag. T. XXVII, p. 44 offensus in v. *ἔνεστιν* coniecit *ἔτ' ἔστιν* collatis vss. 1139. 1142, quod placuit Hartungo: me iudice *ἔτ' ἔστιν* orationem ambiguam reddit, quod etiam Spem Deam discessuram e terris aliquando poeta videri possit indicare, quam numquam abituram esse vss. 1143 sqq. idem existimat. Et *ἐνεῖναι ἔν τινι* legitur Theogn. 531. Graviore labe pentameter contactus: *οὔλυμπον* in omnibus codicibus repertum propter inelegantem syllabae brevis in sede tertia productionem ferri nequit: cf. Axtius ad Vestrit. Spurinn. Carm. p. 116 sq.: ausus quidem est Theogn. 2:

λήσομαι ἀρχόμενος οὐδ' ἀποπαυόμενος,

sed inter paeonem et bacchium plurimum interest. Brunckius bene fecit, quod versum emendare conatus est; sed eo, quod excogitavit *Οὔλυμπόνδ',* quamquam plerisque probatum, nihil magnopere proficitur: cum metro consulere student, orationis poeticae claritatem negligunt. Postulat enim participium *ἐκπρολιπόντες* propter oppositionis rationem obiectum, qua de causa *γῆν προλιπόντες* corrigendum: quod si probaveris etiam versus 1138 germanam recuperabit elegantiam, quandoquidem verbis vs. 1138 *γῆν ἔλιπον* hoc ipsum *γῆν προλιπόντες* respicitur: eodem modo vs. 1139 adiectivum *πιστοὶ* ex nomine *Πίστις* vs. 1137 derivatum. Commodus emendationi propositae etiam locus Hesiodeus, qui maxime in ipso carminis exordio menti poetae obversatur, Op. et D. 197:

καὶ τότε δὴ πρὸς Ὄλυμπον ἀπὸ χθονὸς εὐρυοδείης
λευκοῖσιν φαρέεσσι καλυψαμένω χρόα καλὸν
ἀθανάτων μετὰ φῦλον ἴτον προλιπόντ᾽ ἀνθρώπους
Αἰδὼς καὶ Νέμεσις· τὰ δὲ λείψεται ἄλγεα λυγρὰ
θνητοῖς ἀνθρώποισι· κακοῦ δ᾽οὐκ ἔσσεται ἀλκή:

quibus versibus adiungas Theogn. 647:

ἤδη νῦν αἰδὼς μὲν ἐν ἀνθρώποισιν ὄλωλεν,
αὐτὰρ ἀναιδείη γαῖαν ἐπιστρέφεται.

Ceterum vulgata lectio *ἐκπρολιπόντες* non casu orta, sed de industria illata videtur: quod ne temere positum esse videatur, exemplis confirmabo. Unum vs. 789 suppeditat:

μή ποτέ μοι μελέδημα νεώτερον ἄλλο φανείη
ἀντ᾽ ἀρετῆς σοφίης τ᾽, ἀλλὰ τόδ᾽ αἰὲν ἔχων
τερποίμην φόρμιγγι καὶ ὀρχηθμῷ καὶ ἀοιδῇ,
καὶ μετὰ τῶν ἀγαθῶν ἐσθλὸν ἔχοιμι νόον:

patet vocabulo *νεώτερον* obscuram sententiam reddi: cum adiectivi poetae probati pars litura, vetustate vel alia re deleta esset aut speciem mutasset, invexit nescio quis *νεώτερον*, quod sensum aliquem praebere videretur et metri legibus conveniret. Repono *μελέδημ᾽ ἀγανώτερον: ἀγανὸς* optime de virtute et de cantu ac saltatione dici vel Pindarus ostendit: v. Isthm. III, 7:

εὐκλέων δ᾽ ἔργων ἄποινα χρὴ μὲν ὑμνῆσαι τὸν ἐσλόν,
χρὴ δὲ κωμάζοντ᾽ ἀγαναῖς χαρίτεσσιν βαστάσαι.

Succurrit haec scribenti Horatii locus ex Theognideo expressus, Carm. I, 31, 20:

frui paratis et valido mihi,
Latoe, dones et precor integra
cum mente, nec turpem senectam
degere nec cithara carentem:

negat quidem Garckius Quaestt. de Horatii Graecismo P. I, praef. p. XXIII coll. p. 118 Horatium Theognidis imitatoribus iure adnumerari: sed praeter ea quae modo commemorata sunt, eum erroris convincunt hi versus Theognidis (13 sq.):

εὐχομένῳ μοι κλῦθι, κακὸς δ᾽ἀπὸ κῆρας ἄλαλκε·
σοὶ μὲν τοῦτο θεὰ μικρόν, ἐμοὶ δὲ μέγα,

cum Horat. Satir. II, 3, 284 comparati:

libertinus erat, qui circum compita siccus
lautis mane senex manibus currebat et »unum,
quid tam magnum?« addens, »unum me surpite morti,
dis enim facile est« orabat, sanus utrisque
auribus atque oculis.

Aliud interpolationis exemplum exstat Theogn. 713:

οὐδ᾽ εἰ ψεύδεα μὲν ποιοῖς ἐτύμοισιν ὁμοῖα,
γλῶσσαν ἔχων ἀγαθὴν Νέστορος ἀντιθέου:

sic codices, nisi quod ex A *ψευδέα* enotatum a Froehnero, qui a me rogatus,

qua est erga me benevolentia, codicem inspexit. Priore versu poesin praedicari sententiae Hesiodiae imitatio arguit, Theogon. 27:

ἴδμεν ψεύδεα πολλὰ λέγειν ἐτύμοισιν ὁμοῖα,

quacum componi potest proverbium πολλὰ ψεύδονται ἀοιδοί, de quo v. annot. meam ad Gregor. Cypr. Mosq. V, 2, Paroem. Gr. T. II, p. 128: quid autem poesi cum Nestore? cuius tum demum apte hic mentio facta esset, si facundia laudaretur, de qua cum alias ob causas tum propter vs. 704 hic cogitari nequit. Et ne hexametro poesin, versu breviore eloquentiam significari suspiceris, sequens distichon declarat, de una virtute per totum distichon poetam exponere debuisse. His recte positis sequitur et nomen Νέστορος et epitheton ἀγαθὴν plane otiosum interpolatori tribuendum: quomodo autem membrum participiale Theognis ipse exornaverit, difficile est dictu: exempli causa propono:

γλῶσσαν ἔχων ἀγανὴν Ὀρφέος ἀντιθέου:

de Orpheo v. Aesch. Agam. 1629: Ὀρφεῖ δὲ γλῶσσαν τὴν ἐναντίαν ἔχεις, Eurip. Alcest. 357: εἰ δ' Ὀρφέως μοι γλῶσσα καὶ μέλος παρῆν: add. Eur. Med. 543. Iphig. Aulid. 1211: ἀγανὴν ab Heckero sumpsi, v. Philol. T. V, p. 470. Tertium denique exemplum et quartum fraudis ab impostore factae in fine adiiciam. Postquam in universum Deos e terris in Olympum remeasse poeta dixit, singula numina nominat, v. 1137:

ᾤχετο μὲν Πίστις μεγάλη θεός, ᾤχετο δ' ἀνδρῶν
Σωφροσύνη· Χάριτές τ' ὦ φίλε γῆν ἔλιπον.

In quibus v. ἀνδρῶν Deae nomini ita appositum, ut v. priscus Pudori apud Horat. Carm. Saec. 57:

iam Fides et Pax et Honos Pudorque
priscus et neglecta redire Virtus
audet:

poetae enim, ut Schneidewinus ad Solon. fr. XI, 73 annotavit, mythicam personam cum re ipsa miscere solent. Pergit poeta v. 1139:

ὅρκοι δ' οὐκέτι πιστοὶ ἐν ἀνθρώποισι δίκαιοι,
οὐδὲ θεοὺς οὐδεὶς ἅζεται ἀθανάτους.
εὐσεβέων δ' ἀνδρῶν γένος ἔφθιτο, οὐδὲ θέμιστας
οὐκέτι γινώσκουσ' οὐδὲ μὲν εὐσεβίας.

Monet Stollius ad vs. 1139, praedicatum vocabulo δίκαιοι contineri: me iudice hexametri verba ne construi quidem possunt, sed tum demum structura orationi poeticae congrua et apta verborum collocatio nascitur, ubi πιστοί, quod epitheti loco poni non potuisse facile perspicitur, pro praedicato habetur, quo quid post Fidei recessum mutatum sit in terris declaretur. Quibus perpensis si ad totius loci colorem sententiarumque nexum attenditur, neminem quid in verbis ἐν ἀνθρώποισι δίκαιοι lateat, diu poterit fugere: nam locus his verbis definitur, ubi post Deorum reditum in Olympum iurisiurandi fides fracta sit atque abolita: ergo ἐν ἀνθρώποις ἀδίκοισιν emendandum est, quo fit, ut huic carminis parti etiam pulchra illa ac nativa distichorum concinnitas antiquae potissimum elegiae propria restituatur, cum quod disticho sequenti vv. εὐσεβέων ἀνδρῶν praestent, hoc his ipsis verbis ἐν ἀνθρώποις ἀδίκοισιν efficiatur. Sequenti autem disticho propter

hiatum ingratum, cuius simile frustra quaeres in Theognide exemplum, *ἔφϑιτο* offendit, quamvis Ahrensius Philol. T. III, p. 228 aliter statuat: nam vss. 1085. 1195:

Δημῶναξ, σὺ δὲ πολλὰ φέρεις βαρύ· οὐ γὰρ ἐπίστῃ —
μή τοι ϑεοὺς ἐπίορκον ἐπόμνυϑι· οὐ γὰρ ἀνεκτόν —

puncto pausam nacti sunt, qua vocalium concursus mollitur: vs. 1297 vero:

ἀλλά σ' ἐγὼ τρείσω φεύγοντά με, ὥς ποτέ φασιν —

quem Jacobsius Anthol. Palat. T. III, praef. p. XXIV protraxit, ex incerti auctoris carmine petitus est. Accommodatissime igitur ad metrum Schaeferus *ἔφϑιται* correxit, etiam eo commendabile, quod quo iure inter praesentia plusquamperfectum aut aoristus hic inferatur, vix quisquam cogitatione assequi possit. Jacobsii conatum, particulam *δὲ* post *ἔφϑιτο* transponentis, de quo retulit Welckerus ad h. l., verbo attigisse sufficiat: Theognis hanc voculam citra sedem secundam non movet. Haec de critica horum versuum ratione: nunc, ne eorum elegantiam proprietatemque tacito ut ita dicam passu praeteream, primum moneo, vv. *εὐσεβέων ἀνδρῶν* ad Deam *Σωφροσύνην* pertinere; *εὐσεβία* enim et *σωφροσύνη* promiscue et de virtute ac pietate in universum Theognis cum aliis usurpare solet: v. Naegelsbachius in libro quem inscripsit: *die nachhomerische Theologie des griechischen Volksglaubens bis auf Alexander*, p. 229 sqq.: deinde vv. *οὐδὲ μὲν* magna vi praedita idem quod *ἀλλ' οὐ μὴν* valere: v. *μὲν* enim apud Iones passim sensu v. *μὴν* invenitur: v. Xenophan. Eleg. fr. II, 17 Bergk.: denique verbum quod distichi initium occupat, in eius fine forma paulo mutata repeti: v. huius artificii exempla in libro meo, *Grundriss der Metrik*, p. 199 sq., quibus addas Simon. Amorg. fr. VII, 80 Bergk.:

οὐδ' ἄν τιν' εὖ ἔρξειεν, ἀλλὰ τοῦϑ' ὁρᾷ
καὶ τοῦτο πᾶσαν ἡμέρην βουλεύεται,
ὅκως τιν' ὡς μέγιστον ἔρξειεν κακόν:

Theogn. 137: *πολλάκι γὰρ δοκέων ϑήσειν κακόν, ἐσϑλὸν ἔϑηκεν·*
καί τε δοκῶν ϑήσειν ἐσϑλόν, ἔϑηκε κακόν:

Hermesian. fr. II, 23 Schneidew.:

Ἀσκραίων ἐσωκέσϑαι ἑκόνϑ' Ἑλικωνίδα κώμην·
ἔνϑεν ὅγ' Ἠοίην μνώμενος Ἀσκραϊκήν —:

Eur. Hecub. 1192:

σοφοὶ μὲν οὖν εἰσ' οἱ τάδ' ἠκριβωκότες,
ἀλλ' οὐ δύνανται διὰ τέλους εἶναι σοφοί:

Aristoph. Ran. 599:

ὅτι μὲν οὖν, ἢν χρηστὸν ᾖ τι,
ταῦτ' ἀφαιρεῖσϑαι πάλιν πει-
ράσεταί μ' εὖ οἶδ' ὅτι:

dicebantur eiusmodi versus a veteribus echoici: v. Sirmondus ad Sidon. Apollin. VIII, epist. II, p. 502 Savar. Nec ab prosariis talia aliena: Thucyd. I, 11, 1: *τῆς γὰρ τροφῆς ἀπορίᾳ τόν τε στρατὸν ἐλάσσω ἤγαγον καὶ ὅσον ἤλπιζον αὐτόϑεν πολεμοῦντα βιοτεύσειν, ἐπειδὴ δὲ ἀφικόμενοι μάχῃ ἐκράτησαν, (δῆλον δέ· τὸ γὰρ ἔρυμα τῷ στρατοπέδῳ οὐκ ἂν ἐτειχίσαντο), φαίνονται δ' οὐδ' ἐνταῦϑα πάσῃ τῇ δυνάμει χρησάμενοι, ἀλλὰ πρὸς γεωργίαν τῆς Χερσονήσου*

τραπόμενοι καὶ λῃστείαν τῆς τροφῆς ἀπορίᾳ: Liv. XXI, 18, 7: *nostra enim quaestio atque animadversio in civem nostrum est;* add. *ἐπιστροφῆς* exemplum apud Tac. Hist. I, 16: *Nero a pessimo quoque semper desiderabitur: mihi ac tibi providendum est, ne etiam a bonis desideretur;* alia suppeditant Alexand. *π. σχημ.* I, 13. II, 2 sqq. ibiq. v. Normannus in Walz. Rh. Gr. T. VIII, p. 462, Tiber. *π. σχημ.* c. 26 apud Walz. l. c. p. 554, Iulius Rufin. de schem. lex. p. 328 Ruhnk. — Iam accedimus ad locum impeditiorem. A praebet:

ἀλλ' ὄφρα τις ζώει καὶ ὁρᾷ φῶς ἠελίοιο
εὐσεβέων περὶ θεοὺς Ἐλπίδα προσμενέτω,
εὐχέσθω δὲ θεοῖσι καὶ ἀγλαὰ μηρία καίων
Ἐλπίδι τε πρώτῃ καὶ πυμάτῃ θυέτω.

A capite ordiamur: particulae *ὄφρα,* cuius prior syllaba a poetis elegiacis nunquam corripitur, collocatione versum contaminari primus G. Hermannus in Iahnii Annall. l. c. p. 44 perspexit, qua de causa pronomen *τίς* eiiciendum censet. Sed sine elegantiae detrimento nequit si quid video ab hoc loco abesse subiectum: alia igitur via vitium submovendum. Quam ut reperias, ne abeas longius: v. *ἀλλὰ* intrusum ab interpolatore expellendum et cum omnes huius elegiae sententiae per particulam *δὲ* adnectantur, *ὄφρα δέ τις* scribendum est, cui emendationi, quamquam satis superque iam per se munita est, nova tamen accrescit laus versu Homerico, quem miror ab interpretibus praetermissum, Il. Σ, 442:

ὄφρα δέ μοι ζώει καὶ ὁρᾷ φάος Ἠελίοιο.

Etiam in proximi distichi initio ulcusculum excidendum: *εὐχέσθω* nexum turbat, cum non quo modo alii dii venerandi et placandi sint nunc data opera explicetur, sed Spes dea qua ratione coli debeat ut mortalibus maneat semper propitia docendum. Nec minuit difficultatem Schaeferus coniectura sua *κατ' ἀγλαὰ,* quamquam eam Bekkerus, Orellius, alii in textum receperunt: si formula Homerica orationem illuminandam Theognis putasset, etiam *πίονα* transtulisset. Quae cum ita sint, carminis ratio requirit, ut scribatur:

εὐχόμενός τε θεοῖσι καὶ ἀγλαὰ μηρία καίων,

quam emendationem Brunckius praeivit *εὐχόμενος* proponens, perfecit Bergkius, qui in Ritschl. et Welck. Mus. Rhen. T. III, p. 426 non solum *τε* desiderari intellexit, sed etiam simplex *καίων* allato versu Hom. Il. Λ, 752:

γέρων δ' ἱππηλάτα Πηλεὺς
πίονα μηρί' ἔκαιε βοὸς Διὶ τερπικεραύνῳ —

apposite defendit: quid amicum doctissimum moverit, ut in Poetarum Lyricorum editione secunda inventum suum silentio transiret, exputare non possum. Nam quod ipse praetulit, ut post v. *θεοῖσι* comma ponatur et vv. *ἀγλαὰ μηρία καίων* cum imperativo *θυέτω* coniungantur, propter violatam orationis poeticae elegantiam probari vix possit: verbis enim *εὐχόμενός τε θεοῖσι καὶ ἀγλαὰ μηρία καίων* pentametri antecedentis participium *εὐσεβέων περὶ θεοὺς* amplificatur, quae subiiciuntur *Ἐλπίδι τε πρώτῃ καὶ πυμάτῃ θυέτω* eodem modo ex vv. *Ἐλπίδα προσμενέτω* deducta sunt: hinc distichorum concinnitas. Verum enim vero quae in poetarum veterum elegiis concinnitatis et symmetriae leges fixae summa cum arte sint, nunc philologi li-

cet a Disseno egregie moniti recta via investigare recusant, unde fit, ut in poematis epicorum et tragicorum tractandis concinnitati vere pulchrae triste quoddam et quasi servile vinculum substituant liberali poeta prorsus indignum. Actum est de philologia, si verborum formae unice intenti sententiarum rationem et artem Graecorum divinam sola fere manuum opera et versibus per digitos numeratis aperiri posse atque illustrari opinantur. Sed cum de spe agimus spem fovemus, fore, ut ex his erroribus mox aucta viribus ad novum splendorem philologia emergat. Jam hilari animo elegiae finem aggredimur. Est autem hic:

φραζέσθω δ' ἀδίκων ἀνδρῶν σκολιὸν λόγον αἰεί,
οἳ θεῶν ἀθανάτων οὐδὲν ὀπιζόμενοι
αἰὲν ἐπ' ἀλλοτρίοις κτεάνοις ἐπέχουσι νόημα,
αἰσχρὰ κακοῖς ἔργοις σύμβολα θηκάμενοι.

Scrupulum inicit *σκολιόν*, quo nihil significetur, quod in adiectivo *ἀδίκων* non insit: accedit quod iam hoc versu, ut mihi videtur, cur improborum hominum consilia artesque observandae sint, aliquo saltem modo indicari debet: animus igitur inclinat, ut *δόλιον* pro vera scriptura habeam: cf. vs. 67. 226. In pentametro editores dubii haerent, utrum *οὐδὲν* cum codicibus an *οὐδέν'* cum G. Hermanno l. c. p. 39 praeferendum sit: *οὐδὲν* ego praefero ob causas a Bergkio Mus. Rhen. l. c. p. 419 allatas, tum ob dicendi genus durius, quo uti Theognis assuevit. In ultimo versu interpolationem Emperii acumen expulit, v. Opusc. p. 305: *αἰσχρὰ* enim vidit mutandum esse in *ἐσθλά:* hanc vere palmariam emendationem editores Theognidis ne verbo quidem commemoraverunt. Haec hactenus: restat, ut elegantiam in totius carminis compositione conspicuam paucis explanem. Carmen in duas partes aequales divisum, 1135—1143=1143—1150: prior pars quattuor disticha complectens et ipsa in duas particulas aequales scinditur, quarum una Spem unam Deam in terris versari docet, altera causam addit cur Dii e terris reverterint in coelum: 8=4+4. Secunda parte eadem ratione disposita describitur, quomodo cum Spes Dea sola degat in terris homines sese gerere debeant, et quidem ita, ut primum per quattuor versus sacrificiis eam colendam splendidissimis admoneat poeta, deinde cavendum esse addat, ne hominum improborum artes non careant successu: 8=4+4. Alia strophicae compositionis, de qua in universum O. Ribbekius in Mus. Helvet. T. I, p. 213 sqq. et H. Weilius in Welckeri et Ritschlii Mus. Rhen. T. XVII, p. 1 sqq. disputaverunt, exempla vide sis apud Theogn. vss. 105—112, 133—142. Quibus subicio totum carmen secundum meam rationem descriptum:

Ἐλπὶς ἐν ἀνθρώποις μούνη θεὸς ἐσθλὴ ἔνεστιν,
ἄλλοι δ' Οὔλυμπον γῆν προλιπόντες ἔβαν.
ᾤχετο μὲν Πίστις μεγάλη θεός, ᾤχετο δ' ἀνδρῶν
Σωφροσύνη· Χάριτές τ' ὦ φίλε γῆν ἔλιπον.

Ὅρκοι δ' οὐκέτι πιστοὶ ἐν ἀνθρώποις ἀδίκοισιν
οὐδὲ θεοὺς οὐδεὶς ἅζεται ἀθανάτους.
εὐσεβέων δ' ἀνδρῶν γένος ἔφθιται οὐδὲ θέμιστας
οὐκέτι γινώσκουσ' οὐδὲ μὲν εὐσεβίας.

Ὄφρα δέ τις ζώει καὶ ὁρᾷ φάος ἠελίοιο
εὐσεβέων περὶ θεοὺς, Ἐλπίδα προσμενέτω,
εὐχόμενός τε θεοῖσι καὶ ἀγλαὰ μηρία καίων
Ἐλπίδι τε πρώτῃ καὶ πυμάτῃ θυέτω.

Φραζέσθω δ' ἀδίκων ἀνδρῶν δόλιον λόγον αἰεὶ,
οἳ θεῶν ἀθανάτων οὐδὲν ὀπιζόμενοι
αἰὲν ἐπ' ἀλλοτρίοις κτεάνοις ἐπέχουσι νόημα,
ἐσθλὰ κακοῖς ἔργοις σύμβολα θηκάμενοι.